1424

In Dei nomine et eius gratia amen. Ego Bartholomeus Columbi civis Maioric. licet egritudine corporali detentus, in meo tamen bono sensu et memoria integra firmaque loquela existens, meum facio condo et ordino testamentum, in
quo pono et eligo manumissores meos et huius mei testamenti executores, absque tamen dampno ipsorum et rerum suarum periculo seu detrimento, videlicet venerabilem Polinum Brondo mercatorem civem Maioric. generum meum, et dominam Anthoniam
uxorem meam, quibus do et confero potestatem, quod si me mori contigerit antequam aliud inde condere liceat testamentum, ipsi de bonis meis exequantur et compleant hanc meam ultimam voluntatem, prout inferius scriptum invenerint et ordinatum. In primis quidem
comendans animam meam in manus domini nostri Ihesu Christi, qui pro salute humani generis mortem subire voluit corporalem, eligo sepulturam corpori meo fiendam in cimiterio seu tumulo venerabilis Raymundi Columbi civis Maioric. quondam patris
mei constructo prope ecclesiam sedis Maioric. iuxta capellam Sancti Bernardi [illegible], quam sepulturam volo et mando fieri bene honorifice et complete ad noticiam dictorum meorum manumissorum. Volens nichilominus atque mandans quod omnia
debita in quibus apparuerit me teneri et omnia dampna atque iniurie que [illegible] dicto seu facto, persolvantur satisfiant et emendentur per heredem meum infrascriptum omni dilatione cessante et absque strepitu et figura iudicii, sola facti
veritate attenta. Deinde facio legata pia et alia que sequuntur. Et primo lego cuilibet hospitalium Civitatis Maioric. et Sancte Catarine extra muros dicte Civitatis singulos decem solidos. Item lego cuilibet monasterio fratrum
mendicantium Civitatis Maioric. singulos decem solidos. Item lego cuilibet monasterio sororum monialium Civitatis Maioric. singulos decem solidos. Item lego monasterio monialium Podii Pollencie quadraginta solidos. Item lego
operi capelle Sancti Martini de la Cova decem solidos. Item lego operi fabrice ecclesie sedis Maioric. quinquaginta libras regalium Maioric. minutorum, solvendas de bonis meis infra decem annos computandos a die obitus mei inantea, videlicet quolibet anno
quinque libras. Item lego domine Clarete et domine ffiguera eius filie quatuor quarterias frumenti, scilicet dandas per heredem meum quolibet anno in festo sanctorum Petri et ffelicis mensis augusti de tota vita ipsarum et utriusque earum, et hoc in satisfacionem
tocius eius in quo eis teneor. Item lego Paschale domicelle filie domine na Portas in adiutorium maritandi centum solidos. Item lego sorori Eliseudi Toravona monialis Podii Pollencie amore dei [illegible] oret deum pro anima mea viginti solidos. Item lego
utrique dictorum meorum manumissorum pro onere huius mee manumissorie singulos centum solidos. Item lego ffrancischo Guells civi Maioric. decem libras dicte monete. Item lego venerabili Petro Columbi civi Maioric. fratri meo et omnibus
nepotibus meis sive nebotis masculis, scilicet cuilibet eorum singulos centum solidos, sub conditione tamen quod ipse Petrus et omnes dicti nepotes mei teneantur associare cadaver meum ad ecclesiasticam sepulturam, et si aliquis seu aliqui ipsorum hoc facere
renuerit, admitto ei vel eis contrafacientibus predictum legatum seu legata. Item lego ffrancischo Toravoi cognato meo sive nutrito centum solidos. Item lego Gabrieli Planes privigno meo quadraginta solidos. Item lego domine ffrancischine
uxori venerabilis Johannis Toravoi civis Maioric. quondam centum solidos. Item lego [illegible] sive mee libertatem pro [illegible] sub hac conditione tamen quod servita morte mea teneatur servire heredi meo universali [illegible] et in meo hospitio
per quatuor annos computandos a die obitus mei inantea, quibus elapsis illico sit libera franca et alforra, et ab omni captivitatis iugo exempta [illegible] Sancte Eulalie Civitatis [illegible] parochiale
decem solidos. Item recognosco me teneri domine Anthonie uxori mee predicte in octingentis libris regalium Maioric. minutorum, quas ab ipsa [illegible] tempore mei et ipsius nupciarum, quas octingentas libras eidem
ad cautelam lego. Item lego eidem domine Anthonie uxori mee omnes vestes sui corporis et omnia iocalia sua ad omnes suas voluntates. Item [illegible] viginti solidos censuales et alodiales quos annuatim
recipio super quodam orto Johannis Pauli Tornerii situato [illegible] In festo Sancti Andree, ista tamen [illegible] tali die qua obiero pro uno anniversario cum processione et abso-
lutione fienda super tumulo meo, ut est fieri assuetum, et hoc in remissione peccatorum meorum et omnium benefactorum meorum. Item lego [illegible] venerabilis Polini Brondo generi mei centum solidos. Item
lego domine Mariane filie mee uxori dicti venerabilis Polini Brondo, iure institutionis et pro omni parte hereditatis ac legitima sibi pertinentibus in bonis meis, viginti quinque libras dicte monete, in quibus et in eo quod sibi dedi tempore suarum nupciarum
cum dicto eius viro ipsam michi heredem instituo. Item lego iure institutionis Bartholomeo Columbi filio meo et domine Ysabelis quondam prime uxoris mee, legitimam sibi de iure pertinentem in bonis meis, in qua ipsum michi heredem instituo. Et ultra
recognosco et ad cautelam lego eidem partem sibi pertinentem in dote et aliis iuribus dotalibus dicte quondam domine Ysabelis matris sue. Et etiam recognosco et ad cautelam lego eidem filio meo partem sibi pertinentem in hereditate venerabilis Laurencii Columbi
fratris mei quondam ratione vinculi et substitutionis per dictum quondam fratrem meum michi facte in filios meos masculos, et ultra lego dicto filio meo de bonis meis illas tresdecim libras censuales quas michi faciunt anno quolibet terciadecima die ffebruarii
Nicholaus Terrades civis Maioric. ut in carta continetur, et predictum legatum dictarum tresdecim librarum censualium facio dicto filio meo sub conditione quod ipse Bartholomeus filius meus recipiat in censualibus mee hereditatis et dicte quondam domine matris
sue quicquid sibi debeatur et pertineat ratione dicte sue legitime et ratione dicte materne hereditatis, et in censualibus hereditatis dicti quondam Laurencii fratris mei quicquid sibi pertineat ratione dicti vinculi in hereditate dicti quondam fratris mei, et sub conditione
quod ipse Bartholomeus de tota eius vita non vendat in pignore consignet nec alienet aliquid de dictis censibus que sibi ratione dictarum hereditatum et huius legati pertineant et obveniunt, quod si fecerit revoco et pro nullo haberi volo legatum dictarum
tresdecim librarum censualium per me sibi factum. Et etiam sub conditione quod ipse Bartholomeus filius meus usque ad etatem triginta annorum stet et permaneat sub regimine et administratione dicti venerabilis Polini Brondo generi mei et sororis sue
qui bona sua usque ad dictam etatem, nisi antea de eius consilio et consensu in matrimonio collocaretur, regat procuret gubernet et administret, quem Polinum Brondo eidem Bartholomeo filio meo et bonis suis do et assigno in curatorem
medio durante minori etate sua [illegible] virtute mee dispositionis et conditionis apposite, usque ad dictam etatem triginta annorum, nisi ut dictum est antea in matrimonio collocetur. Volens et mandans dicto Bartholomeo, et sub hac etiam conditione dictum le-
gatum sibi facio, quod ipse Bartholomeus infra viginti dies secuta morte mea habeat petere confirmationem a venerabili Baiulo Maioric. de curatione dicti Polini. Et ubi dictus Bartholomeus filius meus predicta per me disposita servare nollet, sed potius
eligeret ipsum legatum amittere quam predicta observare, eo casu, quia scio dictum filium meum esse insufficientem et non aptum ad administrandum bona sua, et quod secundum suam conditionem indiget curatore ad bonorum suorum administrationem, ne eius bona
vastet, volo et eo casu rogo dominam Marianam filiam meam uxorem dicti Polini et alios amicos et affines ipsius Bartholomei, ut supplicent venerabili Baiulo Maioric. quatenus recepta de hiis informatione dictum Polinum in curatorem ei assignet et
cum effectu illum faciant assignare. Item lego Laurencio Columbi filio meo et dicte domine Anthonie uxoris mee, iure institutionis et pro omni parte hereditatis et legitime ac alio quocumque iure sibi pertinentibus in bonis meis, vineam meam, que michi pervenit ex
successione dicti quondam Laurencii Columbi fratris mei, situatam in termino Civitatis Maioric., et hospicium cum cellario situatum iuxta pictateriam dicte Civitatis, quod etiam michi pervenit ex successione dicti quondam Laurencii fratris mei, et cum omni vaxella vinaria tam
dicti cellarii quam dicte vinee, ita tamen quod dictus Laurencius non habeat neque recipiat fructus dicte vinee nec cellarii usquequo excesserit etatem viginti annorum et non ante, primo dicti fructus interim sint heredis mei infrascripti. Et ultra lego dicto Laurencio eodem
iure institutionis quingentas libras dicte monete sibi dandas cum excesserit dictam etatem viginti annorum et non ante, in quibus ipsum michi heredem instituo, interim volo quod provideat[ur] [illegible] et alimentetur in omnibus sibi necessariis de bonis mee hereditatis absque diminu-
tione dictorum suorum legatorum. Et si dictus Laurencius filius meus obierit in pupillari etate vel postea quandocumque sine liberis legitimis [illegible] matrimonii, volo [illegible] heredi meo universali infrascripto, quem ipsi Laurencio substituo.
Item lego Johanni filio meo impuberi et dicte domine Anthonie uxoris mee, iure institutionis et pro omni parte hereditatis et legitima sibi pertinentibus in bonis [illegible] dicte monete, sibi dandas cum etatem viginti annorum excesserit et
non ante, in quibus ipsum michi heredem instituo, interim volo quod provideat de bonis mee hereditatis in omnibus sibi necessariis absque diminutione dicti legati. Et si [illegible] decesserit in pupillari etate vel postea quandocumque sine liberis
legitimis matrimonii, volo quod dictum legatum sibi factum revertatur heredi meo universali infrascripto, quem eidem Johanni substituo. Item lego Columbe filie mee impuberi, iure institutionis et pro omni parte hereditatis et legitima et alio quocumque iure sibi
pertinentibus in bonis meis iure nature, mille ducentas libras dicte monete sibi dandas tempore nupciarum suarum tunc vero et non ante, in quibus ipsam michi heredem instituo, interim vero provideat et alimentet de bonis meis in omnibus sibi necessariis absque diminutione dicti
sui legati. Et si dicta Columba decesserit antequam nubat vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, volo quod dictum legatum sibi factum revertatur heredi meo universali infrascripto, quem eidem substituo. Item lego omnibus aliis liberis meis
utriusque sexus amodo ex legitimo matrimonio procreandis, postumis vel medio tempore natis in lucem venientibus et michi supervenientibus, iure institutionis et pro omni parte hereditatis et legitima ac alio quocumque iure eis et cuilibet ipsorum pertinentibus
et competentibus in bonis meis iure nature, videlicet masculis singulas mille quingentas libras dicte monete eis et cuilibet eorum dandas cum etatem excesserint viginti annorum et non antea, et feminabus singulas mille ducentas libras dicte monete
eis et cuilibet earum dandas tempore nupciarum suarum tunc vero et non ante, in quibus ipsos et ipsas et quemlibet ipsorum michi heredes instituo, interim vero provideantur et alimententur in omnibus sibi necessariis de bonis mee hereditatis absque diminutione
eorum legatorum. Et si aliquis vel aliqui dictorum liberorum meorum abhinc nasciturorum obierit vel obierint infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, legatum illius vel illorum sic decedentis vel decedentium heredi meo
universali infrascripto totaliter revertatur. Solutis autem et completis omnibus et singulis supradictis et iniuriis ac debitis meis in quibus apparuerit me teneri plenarie satisfactis et restitutis, in omnibus aliis bonis meis mobilibus et immobi-
libus ac semoventibus, corporalibus et incorporalibus, iuribus et actionibus universis michi competentibus et competituris quocumque iure titulo sive causa, instituo et facio michi heredem meum universalem Anthonium Columbi filium meum et dicte domine Anthonie
uxoris mee in pupillari etate constitutum. Et si dictus Anthonius filius meus michi heres non erit vel erit et obierit in pupillari etate vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, substituo sibi et michi heredem instituo dictum Laurencium Columbi filium meum
impuberem. Et si dictus Laurencius Columbi filius meus michi heres non erit vel erit et obierit infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis matrimonii, substituo sibi et michi heredem instituo dictum Johannem Columbi filium meum. Et si
dictus Johannes filius meus michi heres non erit vel erit et obierit infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, substituo sibi et michi heredem instituo primum filium meum masculum ex legitimo matrimonio abhinc nasciturum.
Et si dictus primus filius meus masculus amodo nasciturus michi heres non erit vel erit et obierit infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis matrimonii, substituo sibi et michi heredem instituo secundum filium meum masculum ex le-
gitimo matrimonio michi abhinc nasciturum, et postea tertium filium meum masculum ex legitimo coniugio nasciturum. Et sic prosequatur de omnibus aliis filiis meis masculis ex legitimo matrimonio nascituris, scilicet de uno ad aliud gradatim et successive
usque ad ultimum ipsorum, prerogativa prioritatis semper precedente. Et si omnes dicti filii mei masculi ex dicta domina Anthonia uxore mea nati et abhinc [illegible] nascituri michi modo predicto heredes non erunt vel erunt et omnes
obierint infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, vel ante me mori contigerit absque filiis masculis predictis, substituo ipsis [illegible] morienti et michi heredem instituo Raphaelem Brondo nepotem
meum sive nepotem filium dicti venerabilis Polini Brondo et domine Mariane uxoris sue filieque mee. Et si dictus Raphael Brondo nepos meus michi heres non erit vel erit et obierit quandocumque absque liberis legitimis matrimonii, substituo sibi
et michi heredem instituo primum filium masculum dicti venerabilis Polini Brondo abhinc nasciturum ex dicta domina Mariana coniuge sua. Et si dictus primus filius masculus dicti venerabilis Polini Brondo amodo nasciturus ex dicta coniuge sua michi heres
non erit vel erit et obierit quandocumque absque liberis legitimis matrimonii, substituo sibi et michi heredem instituo secundum filium dicti Polini masculum abhinc ex dicta coniuge sua nasciturum, et postea tertium filium masculum dicti Polini ex dicta con-
iuge sua natum. Et sic prosequatur de omnibus aliis filiis masculis dicti venerabilis Polini ex dicta coniuge sua amodo nascituris, scilicet de uno ad aliud gradatim et successive usque ad ultimum ipsorum gradatim [illegible] prerogativa
prioritatis semper precedente. Et si omnes dicti filii masculi dicti venerabilis Polini Brondo nati et nascituri ex dicta domina Mariana coniuge sua michi modo predicto heredes non erunt vel erunt et omnes obierint absque liberis legitimis ma-
trimonii, vel ipsis non extantibus post mortem omnium dictorum filiorum meorum masculorum desuper expressorum et modo predicto decedentium, substituo eis et eorum ulteriori sic morienti et michi heredes instituo omnes filias meas tam ex prima con-
iuge quam ex dicta domina Anthonia nunc uxore mea natas et abhinc nascituras comuniter et equis portionibus inter ipsas. Et eas adinvicem substituo vulgariter pupillariter et per fideicommissum, ita quod si aliqua illarum decesserit in pupillari etate
vel postea quandocumque absque liberis legitimis coniugii, pars illius sic morientis revertatur aliis superviventibus filiabus meis. Et sic prosequatur de omnibus ipsis usque ad ultimam ipsarum. Et si omnes dicte filie mee tam nate quam nasciture michi heredes
non erunt vel erunt et obierint infra pupillarem etatem vel postea quandocumque absque liberis legitimis matrimonii, substituo eis et ulteriori ipsarum sic morienti, ac michi heredem instituo dictam dominam Anthoniam uxorem meam. Volens et disponens
quod casu quo dicta mea hereditas vigore huius mee testamentarie dispositionis pervenerit ad dictam dominam Anthoniam uxorem meam, quod dicta domina Anthonia uxor mea de tota eius vita teneat et possideat omnia bona dicte mee hereditatis usufructuario iure tamen, ita quod omnes
fructus ipsorum bonorum suos faciat, illorum bonorum substantia et proprietate semper salva, quam substantiam et proprietatem ipsorum bonorum post mortem dicte domine uxoris mee volo reverti operi fabrice ecclesie sedis Maioric., quam fabricam dicte sedis post eius
obitum substituo et michi heredem instituo. Insuper volo provideo ac dispono quod casu quo dicta mea hereditas inter decessum seu defectum omnium filiorum meorum masculorum predictorum vigore presentis mee testamentarie dispositionis pervenerit ad filios dicti
venerabilis Polini Brondo nepotes meos sive nebotes, quod heres meus quicumque fuerit ex dictis filiis masculis dicti Polini Brondo teneatur solvere atque dare dicte domine Anthonie uxori mee quingentas libras dicte monete, quas in tali casu et nunc prout et
exinde eidem lego ad omnes suas voluntates libere faciendas. Et etiam in tali casu lego dicte domine uxori mee statium et habitationem hospicii mei in quo nunc habito de tota eius vita tamen. Preterea dono et assigno in tutores et pro tempore curatores dicto An-
thonio Columbi filio et heredi meo universali predicto, ac aliis liberis meis natis et amodo nascituris, excepto dicto Bartholomeo Columbi filio meo predicto, cui iam superius extitit per me provisum, dictos venerabilem Polinum Brondo generum meum et dominam
Anthoniam uxorem meam, qui dictos liberos meos et eorum bona teneant regant procurent et administrent, utilia agendo et inutilia evitando. Ita tamen quod dicta domina Anthonia stet et habitet cum dictis filiis meis in hospicio meo, et quod provideat in ipso hospicio
in omnibus sibi necessariis de tota vita sua de bonis mee hereditatis, dum tamen caste vixerit et nomen dotis sue non petierit, usque dictus heres meus etatem viginti annorum excesserit. Mandans dicto Anthonio heredi meo universali quod dicte domine Anthonie matri
sue obediat et pareat in omnibus preceptis suis, et nullam contradictionem faciat in administratione dicte mee hereditatis, quod si fecerit nolo illum esse heredem meum, ymo ipsum totaliter destituo atque pro nunc prout ex nunc ab ipsa mea hereditate, quam volo
tunc devolvi alii filio meo dicto meo heredi substituto, sub eodem mandato et pena dicte privationis et destitutionis dicte mee hereditatis. Et eo casu lego dicto Anthonio filio meo iure institutionis legitimam solummodo sibi in bonis meis iure nature
competentem, in qua nunc pro tunc et equo ipsum michi heredem instituo. Et simili modo dispono de alio filio meo dicto Anthonio substituto, et de aliis postmodum substitutis. Demum volo provideo atque mando quod dicti venerabilis Polinus Brondo
et domina Anthonia uxor mea, per me in tutores et pro tempore curatores dicto heredi meo universali et aliis liberis meis assignati, non possint compelli per ipsum heredem meum neque alios sibi substitutos ad reddendum compotum seu rationem eorum administrationis
per ipsos de bonis mee hereditatis geste seu gerende, quoniam ego confidens de eorum fide probitate et legalitate ipsos ab omni compoto et ratione eorum administrationis reddendo libero et absolvo. Hec est autem ultima voluntas mea, quam laudo
approbo ratifico et confirmo, et eam valere volo iure testamenti, que si non valet aut valere non poterit iure testamenti, saltem valeat et illa valere volo iure codicillorum seu alio quocumque iure ultime voluntatis quo melius valere poterit comprehendo et teneo. Revo-
cans expresse et annullans ac penitus irritans omnia alia testamenta codicillos et ultimas voluntates per me hactenus facta et firmata, in posse quorumcumque notariorum, et sub quorumcumque verborum etiam derogatoriorum expressione [illegible] existant,
quorum omnium memoriam penitus [illegible] et illa cassa volo esse et irrita ac nullius efficacie seu valoris, presens hoc meum testamentum quod esse ultimam voluntatem meam et omnibus aliis prevalere comprehendo ac teneo. Actum est hoc in Civitate
Maioric. die sabbati tricesima mensis septembris anno a nativitate domini millesimo CCCC vicesimo quarto. Sig+num mei Bartholomei Columbi testatoris predicti, qui hoc meum ultimum testamentum laudo et firmo.

Testes vocati et rogati fuerunt ad hoc testamentum: discretus Paulus de Olesia presbiter beneficiatus in sede Maioric.; ffranciscus Padorum et Anthonius Buades presbiteri in ecclesia Sancte Eulalie Civitatis predicte beneficiati; G. Arnaldi pictor, Mathias Morro et Gaspar de Pachs [illegible] Maioric. et Andreas Borras [illegible].

Sig+num Gabrielis Abarar notarii publici Maioric., qui rogatus a dicto testatore hoc testamentum recepit scripsitque et clausit. Cum rasis in vii linea ubi scribitur et Sancte Catarine. Et in xxxvi linea ubi dicitur primo dicti fructus. Et in lvi linea ubi dicitur filiis. Et cum supposito in lxvi linea ubi ponitur omnia bona.